



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

1. Castor & Pollux cur in cælo?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](#)

nempe per *Pollucem* dicta firmantis: eratque iuramenti genus cum viris, tum mulieribus commune. At *Ecastor*, *Mecastor*, *Percastor* apud *Comicos* proprium erat seminarum iusjurandum, quasi per eadem *Castoris* alleverantium; sicut *adipol*, erat fidem adstringere per *Pollucis* aedes, quæ Romæ extabant, & religiosè colebantur.

Ethica,

I. (a) Magnam Ethicæ doctrinæ segetem profert hæc fabula: Percurrendo, metamus aliquot manipulos. Primo fratres hi duo cœlum obtinuerunt justitiæ, fortitudine, constantiæ. Testatur Horatius lib. 3. Od. 3. quem locum adduximus Symb. 51.

Mythologus lib. 8. c. 9. Dicti sunt, inquit, *Castor* & *Pollux* in deos relati ob beneficia, quæ in homines contulerunt; cum multos sceleratos de medio sustulerint, & in populos, quos subjugârant, singulari clementia sint usi. Concordiam quoque propinquorum diis esse gratissimam, antiqui per hanc fabulam demonstrare voluerunt. Hæc ille.

II. (b) Ex ovo cygni provenerunt fratres hi; in qua ave candor laudatur & cantus. Nimirum fuko caret sincera amicitia, & nescit esse colorata; & quis est concentus suavior, quam bene consonantes amantium affectus? *Castor* & *Pollux* ita se amabant mutuo, ut alter pro altero vitam poneret, reciperetque. Ejusmodi *Gemini* fuere *Pylades* & *Orestes*, *Pirithous* & *Theseus*, *Achilles* & *Patroclus*, *Æneas* & *Achates*, *Nisus* & *Euryalus*, *Damon* & *Pythias*, *Alexander* & *Hephæstion*, *Epaninondas* & *Pelopidas*, *Scipio* & *Lælius*, & in sacris litteris, *Jonathas* & *David*. De *Lucano* & *Tullo* conjunctissimis fratribus eleganter *Martialis* lib. 1. epig.

Si Lucane tibi, vel si tibi Tulle darentur,

Qualia Ledæi fata Lacones habent.

Nobilis hæc esset pietatis rixa duobus,

Quod pro fratre mori vellet uterque prior.

Diceret, infernas si quis priorisset ad undas:

Vive tuo frater tempore, vive meo.

Plutarchus in commentario de amicorum multitudine, ait, binos semper amicos fuisse memoriam proditos. Est enim amicus animal unum quidem degens, sed non in armento, & graculorum caterva. Quod amicus dicatur alter ego vel alter ipse, id nihil significat aliud, quam binariam

(a) *Castor* & *Pollux* cur in caelo? (b) Vera amicitia.

